

hic & cap. 64. disertè dicat Deum movere cætera agentia, idemque doceat 1. p. & 1. 2. ut ex verbis supra citatis manifestum est. Si dicas Deum dici movere quia motionem facit simul cum causa 2. *Respondeo* primo quod communi omnium sensu movere causam plus est quam facere motionem: est enim facere motionem per causam, eamque realiter attingere seu movere. 2. D. Thomas dicit Deum movere causas ad actiones, ergo movere aliud est quam facere motionem seu actionem. Præterea utri re aliqua est illam ita attingere ut applicetur ad operationem: si Deus utitur omnibus causis, ergo omnes causas ita attingit ut eas applicet, ideoque falsum est quod concurrat in effectum & non in causam. Major est B. Thomas 1. 2. quæstione 16. Ubi dicit quod *vis est applicare aliquod principium actionis ad actionem.* Minor asseritur ab eodem libro tertio contra Gent. capite 64. his verbis. *Quicumque facit aliquid propter finem utitur illo ad finem: ostensum est autem supra quod omnia que habent esse quocunque modo, sunt effectus Dei, & quod omnia facit propter finem qui est ipse. I. se igitur utitur omnibus dirigendo ea in finem: hoc autem est gubernare: & postea: Ostensum est, ait, quod Deus est primum movens non motum; primum autem movens non minus movet quam secunda moventia sed magis; quia sine eo non movent alia; omnia autem que moventur, moventur propter finem: movet igitur Deus omnia ad fines suos.* Quæ deductio habetur ex Philosopho libro 8. Phys. textu 33. quem commentans idem D. Thomas sic loquitur: *Cum tam primum movens quam ultimum movere dicamus, quod magis movet primum movens quam ultimum, & hoc patet per duas rationes, quarum prima est quod primum movens movet secundum movens, sed non è contrario. Secunda ratio est quia secundum movens non potest movere sine primo, sed primum movens potest movere sine secundo.* Quibus planè similia videbis apud Tolet. in eum librum scribentem, qui nominatim dicit quod movens ultimum recipit motum à primo: unde sequitur evidenter quod primum agat realiter in secundum. Sed & hic observandum est quod B. Thomas sicut & Philosophus ut duo distincta ponat, Deum agere independentem, & movere causas 2. hoc enim in ratione. 1. continetur, illud in 2. ideoque non respondent ad mentem D. Thomæ qui voluit Deum ab eo dici movere causas, & eas moveri quia ille agit independentem, hæc autem dependentem: quanquam & hæc ejusmodi explicatio ex supra dictis fatis maneat refutata.

ARTICULUS XIV.

Quod B. Thom. 1. p. quæst. 105. art. 5. dixit Deum operari in omni operante, ideoque etiam in causa & non solum in effectu, nec solum quatenus dat vel conservat virtutem, sed quatenus eandem applicat, hoc ipsum clarissimè docet hoc lib. 3. contra Gent. cap. 67. ubi postquam dixit Deum esse causam omnis actionis quatenus dat & conservat virtutes activas, semper eas in rebus causando, sic loquitur: *Quicquid applicat virtutem activam ad agendum dicitur esse causa illius actionis: artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem dicitur esse causa illius actionis, sicut coctus decoctionis que est per ignem: Sed ratio est omnis applicatio virtutis ad operationem est principaliter & primo a Deo; applicatur enim virtutes*

Deus utitur omnibus.

operative ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis vel anime: primum autem principium & primum utrumque motus, est Deus: est enim primum movens a Deo. omnino immobile: ut supra ostensum est, & similiter omnis motus voluntatis quo applicatur aliqua virtutes ad operandum reducitur in Deum sicut in primum appetibile & in primum volentem: omnis igitur operatio debet attribui Deo sicut primo & principali agenti: Adhuc in omnibus causis agentibus ordinatis, semper oportet quod causa sequentes agant in virtute causa prima, sicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in virtute corporum celestium, & in rebus voluntariis omnes artifices inferiores operantur secundum imperium supremi architectonis: in ordine autem causarum agentium, Deus est prima causa, ut in 1. ostensum est: ergo omnes cause inferiores agentes agunt in virtute ipsius; causa autem actionis magis est id cuius virtute agitur quam etiam illud quod agit: sicut principale agens magis agit quam instrumentum. Deus ergo principaliter est causa cuiuslibet actionis quam etiam causa secunde agentes. Sed objiciet aliquis. Agere in virtute est agere per virtutem quæ accepta fuerit à superiori agente dependenter à continuo illius influxu in effectum: ergo nihil est hic per influxu Dei in causam. R. A. Ant. Senim Thomas plus voluit dicens Deum applicare omnes virtutes operativas, omniaque agentia agere in virtute Dei, quam quod virtutem accepterint à Deo ut patet ex contextu hujus c. 67. & ex c. 70. ubi dicit quod virtus inferioris agentis dependet à virtute superioris agentis in quantum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agentis per quam agit vel conservat eam aut etiam applicat eam ad agendum, sicut artifex applicat instrumentum ad proprium effectum, cui tamen iteram formam non dat per quam agit instrumentum, nec conservat, sed dat eis solum motum. Et c. 89. docet Deum dare virtutem ac insuper hominem non aliquando posse uti illà virtute nisi agat in virtute Dei, & nisi Deus operetur in illo. Rursùm 1. p. q. 105. art. 5. instrumentum causam agere in virtute Dei dicit esse sic agere quod Deus eam moveat, realiter scilicet ipsam attingensolum. Primum, inquit, agens movet secundum ad agendum; & secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei. Movere autè causam longe aliud est quam illi datam virtutem conservare vel simul cum ea agere ut patet ex dictis. Unde & c. 67. jam citato: Ipse est, inquit, (Deus) qui operatur in omni operante per naturam vel per voluntatem, ut etiam dixerat 1. p. q. Deus 105. art. 5. & hic c. 75. Ostensum est, ait, supra quod operatur Deus operatur in omnibus causis secundis, & omnes in omnium effectus reducuntur in Deum sicut in causam. nibus causis.

ARTICULUS XV.

Et eodem lib. 3. cap. 88. cum dixisset quod nulla substantia creata potest agere in voluntatem vel esse causa electionis nostræ nisi per modum suadentis, &c. Et quod solus Deus potest movere voluntatem per modum agentis: eamque in aliquid inclinare & movere voluntatem per modum agentis potest absque violentia: Hinc est, ait, quod dicitur Prov. 21. Cor regis in manu Domini, & quocunque voluerit inclinabit illud, Et Philipp. 2. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Rursùm: Impossibile est, inquit, quod voluntas moveatur a principio extrinseco quasi ab agente: sed oportet quod omnis motus voluntatis ab interiori procedat: nulla autem substantia creata conjungitur animæ intellectuali quantum ad sua interiora nisi solus Deus Deus qui solus est causa ipsius, & sustinens eam in esse:

Omnis applicatio virtutis ad operationem est principaliter & primo a Deo; applicatur enim virtutes

Solus Deus potest movere voluntatem. Prov. 21. Phil. 2.